



Præterea longæ ascensiones, cuiusmodi sunt in Leonis Signo, minus erroris pârere solent. Sed quod summam fidem habet, euenta ipsa, cum ascendente parte rectè consentiunt.

In hoc uerò Horoscopo multa sunt ad uitæ, ingenij, fortunæ, functionum denique omnium uarietatem testimonia. Primùm, quòd Coniunctio Luminarium antecedens Natiuitatem, fuit in Ascendente: quod rarissimum est. Præstat rerum reconditarum peruestigationem, uehementi studio, magna meditatione, assiduo labore. Et Leo laboriosos perpetuò facit. Itaq; Demonstrationes in Euclidis Elementa nouas edidi quâ plurimas; antiquorum improprias & imperfectas emendauit: Circulum posse ad quadratum duci, Geometrica ratione ostendi: & de eius dimensione, Archimedis sententiam suo firmamento muniui. Contactum Linearum non esse angulum, probauit: duarum Linearum in eodem plano neq; parallelorum, neq; unquam concurrentium demonstrationem duplicem dedi. Hanc de Cœli Medio sententiam ex Ptolemæi scriptis erutâ declarauit. Atq; ea ultima capita his tribus Commentarijs coniunxi. Algebram illustraui, & in ordinem luculentum Gallicè primùm, tum Latinè redegi. In Galeno repugnantias, post aliorum animaduersiones, multas deprehendi, & edidi. Medicinam noua methodo tractaui: quod opus, ob difficultatem diutius habere cogor præ manibus. Taceo multa alia quæ ad Astronomicam doctrinam spectant, hætenus non audita: quæ ego indies pergo elaborare. Quæ uerò in